



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In Festo SS. Innocentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

mentum nascitur Christus. Zach. 13. *In die illa erit fons patens domus David habitantibus Jerusalem, in oblacionem peccatoris & mustruata.* De quo Greg. lib. 2. in Ezech. hom. 20. *Fons quippe occultus Unigenitus Patris invisibilis DEUS fons verò patens est idem DEUS incarnatus qui fons rectè dicitur domus David, quia ex David genere noster ad nos Dominus processit, &c. Cur igitur pigri sumus? Cur torpentes & frigidi remanemus, qui in hoc fonte pietatis tantum jam se lavasse cognoscimus? Factus fœnum pro jumentis dum factus est caro. Isai. 40. Omnis caro fœnum. Ipse erit Jacob pro nobis, luctabitur cum nostris Adversariis Isai. 15. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis salvatorem & propugnatorem qui liberet eos. Et non tantum luctatus cum nostro Adversario sed illum cepit. Greg. Moral. 33. c. 9. Behemoth in hamo Incarnationis captus, quia dum in illo appetit escam corporis transfixus est jaculo Divinitatis. Nam cum dicitur Mach. 1. Abraham genuit Isaac, &c. Quodam quasi linea, torquetur, in cuius extremo Incarnatus Dominus, id est, hamus iste ligaretur, quem in aquis humani generis dependentem aperto ore iste cœtus appeteret.*

In Festo SS. Innocentium.

OMni modo laborabat dæmon ut redemptionem mundi impediret. Et primò per Pharaonem agressus perdere gentem de qua nasciturus erat Salvator, & effecit ut Pharo juberet submergi omnes Judæorum Masculos Exod. 1. sed non perfecit, quia Moyfes eduxit populum. Deinde incitavit Aman Esther 7. ut eandem gentem perderet, sed obstitit Esther. Deinde conatur saltem illam domum perdere in qua erat nasciturus, & usus ad hoc 4. Reg. 11. Attalia impiâ, servatus est tamen Joas qui domum illam fuscitavit. Versus iterum contra totam gentem 1. Machab. 2. sed Sap. 32. *Non est sapientis, non*

est prudentia, non est consilium contra Dominum. Demum ad Herodem se vertit, ubi advertit ex tempore jam expleto venturi Messiae & miraculis, & illo usus. Apoc. 12. *Vidi draconem stantem ante mulierem, quae erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret.* Erripit ergo Herodes ut bestia ex cavea, quae obvios quosque dicerpit, clamor undique tollitur Jer. 31. *Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus.* Alii caesos deplorant, alii cavent vivos, sed Christo omnia vertuntur in testimonium quod ipse sit Messias. Cum David arcam deduxit 2. Reg. *Immolavit hostias & pacifica coram Domino.* Arca novi testamenti in mundum venit, procumbit grex immolarum tener. Cum populus in Aegypto salvaretur ab occisore Angelo, ungebantur postes sanguine. Num. 19. hic ingressus sanguine perfunditur, quia venit salus. Qui voluit occidere, dat Christo *fructus praecedentes, quos desideravit Michae 7.* Quem voluit perire fecit decantari Ps. 8. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Rixit olim Herodem Isai. 16. *Ini consilium, pone quasi noctem umbram tuam in meridie.* Occultando intentionem tuam coram Magis. Tu Aegypto, *absconde fugientes, & vagos ne perdas, habitabunt apud te profugi mei.* Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris *conculcatus est miser, defecit qui conculcabat terram.* Defecit, quia ad illustrandum Christum servierunt Herodis concilia. Leo serm. 1. de Epiph. *Ut dum Herodes atroci intentus facinori ignotum sibi indiscretam infantium caede persequitur, annunciatum caelitus dominatorum orum, insignior ubique fama loqueretur.*

In Circumcisione Domini.

Nomina quae à DEO imponuntur, omninò cum rebus conveniunt, sic Abraham Pater gentium, Joannes gratia, quia lex gratiae ab illo cepit. Noë, consolatio, mundum consolatus